DE EPIPHORA SEU DACRYORRHYSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXI. M. JULII A. MDCCCXXX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

EDUARDUS ALBERTUS GROOS,
GUESTPHALUS WITTGENSTEINENSIS.

OPPONENTIBUS:
W. DIESTERWEG, MED. ET CHIR. CAND.
J. G. HEINEN, MED. ET CHIR. DD.
E. A SECKENDORFF, J. U. D.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO,

CAROLO GROOS

A CONSILIIS CAMERALIBUS

ET SALTUARIIS,

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

Introductio.

Lacrymae, quarum principem officinam glandula lacrymalis constituit, quae subter palpebra superiore in ossis frontis recessu, tempora versus, locata, glandulis conglomeratis adnumeratur, in superficie palpebrae superioris interna per ductus proprios deponuntur. Postquam, admixto unguine glandularum meibomianarum atque carunculae lacrymalis, superficiem palpebrarum internam atque bulbi oculi anteriorem humectarunt, tam ipsarum palpebrarum quam bulbi oculi motu canthum orbitae internum versus promoventur. Collectae ibi lacrymae, quarum defluxum super genas impedit caruncula lacrymalis, cum parva semilunari eidem praetenta membrana, puncto lacrymali superiori et inferiori apertis absorbentur, inde ad saccum lacrymalem delatae, per ductum proprium (canalem lacrymalem) in meatum narium inferiorem demittuntur.

Atque hic quidem status normalis est, quo breviter adumbrato, ad ea pergamus, quae fusius pertractaturi sumus. Quodsi major humoris illius copia secernitur, vel puncta lacrymalia, ductusve excretorii obstruuntur, vel caruncula deficit, vel intumescit, aut alia organorum lacrymas provehentium vitia adsunt, fieri non potest, quin lacrymae super genas defluant. Ac si quidem deductio imminuta lacrymarum, normali quantitate secretarum, causam sistit, quod super genas defluant, stillicidii lacrymarum sive dacryostagi notio obtinetur. Sin vero nimia secretio, quam modo diximus, quominus puncta lacrymalia omnes lacrymas absorbeant, impediens, super genas defluere eas sinit, profluvium dacryorrhysis sive epiphorae nomine insignitur, nisi scilicet secretio profusa affectu quodam animi efficiatur.

Haec quidem dacryorrhysis est, quam pro viribus explanare conabimur.

Symptomatibus manifestatur his: oculus humore lacrymali inundatur, quo fit, ut subjectiva lucis perceptio immutetur, cum adaucta radiorum lucis refractione saepissime tum photopsia tum di-

plopia existat *). Sensibilitas oculi plerumque ad majorem gradum evehitur. Lacrymae per totam palpebrarum rimam profluunt. Qualitas lacrymarum diversissima, modo vix mutata videtur, modo indolem tam acrem exhibet, ut conjunctiva bulbi palpebrarumque, margines earum et genarum cutis inflammentur et erodantur, imo adeo ulcera nascantur. Etiam membrana pituitaria saccum et ductum lacrymalem investiens, nec non orificia narium nonnunquam eodem modo afficiuntur. Majori isto lacrymarum acore cornea saepe pelluciditate privatur et pannus formatur. Evenit etiam, ut lacrymarum color mutetur, ita ut subrubrae, flavae, albidae etc. videantur.

Ut humidus aër morbum in pejus, ita siccus calidusque in melius vertere consuevit. —

*) V. W. Rowley, tractat. de praecip. ocul. morb. p. 395. et 405.

Diagnosis.

Dacryorrhysis, cum secretionis abnormis effectus appareat, facillime agnoscitur et a stillicidio lacrymarum partim eo distinguitur, quod in hoc lacrymae ex solo cantho oculi interno effluunt, partim eo, quod stillicidium sublata functione organorum lacrymas provehentium, non secretione humoris lacrymalis adaucta, progignitur, denique per interceptum lacrymarum cursum evenit, ut siccitas narium quaedam in aegrotante latere sentiatur. —

De epiphorae seu dacryorrhysis divisione.

Dacryorrhysis aut secundum originem in idiopathicam et sympathicam, in substantivam et symptomaticam, protopathicam et deuteropathicam, aut secundum characterem in activam et passivam, aut secundum decursum et tempus in continuam et intermittentem in acutam et chronicam distingui potest.

Haec quidem communia sunt. Ad aliam transeamus divisionem, quae propius a re abesse videtur. Nam cum dividendi principium cernatur in modo, quo efficitur epiphora, simul natura atque

indoles variarum dacryorrhysis specierum illustratur. Haec enim vel a solius vis secretoriae augmento pendet, maximeque secreti quantitate majore manifestatur, quam dynamicam nominare placet, aut cum adaucta vi secretoria lacrymarum qualitas immutata atque alienata deprehenditur, ita ut haec epiphora priori tamquam dynamico-chemica opponi possit.

Primum igitur de dynamica epiphora disseramus.

Est autem idiopathica, quae ex irritatione leviori glandulae lacrymalis ipsius prodit, per vim scilicet foris illatam, sive cum laesione conjuncta sit, sive non sit, aut per corpora aliena, per ductus excretorios in glandulam lacrymalem irritationem aliquam exserentia.

Sympathica inducitur quacunque vehementiori cerebri excitatione, ophthalmiis minus acribus, quam quae Xeroma procreare possint, nervorum ciliarium irritatione, lucis nimium fulgorem secuta. Quae glandulae lacrymalis excitatio ubi vehementior est, et statu asthenico nititur, veluti in puerulis tenerioribus atque puerperis, ubi erethismo nervoso totius oculi, blepharospasmo tonico, photophobia stipatur, dacryoadenalgiae nomine ab Adamo Schmidtio notatur, quam quidem a mixtione quadam perversa glandulae lacrymalis derivat. Sympathica porro nervis dentalibus, nasalibns, et

gastricis incitatis, ob commercium eorum cum ramis nervi ophthalmici, existit.

Symptomatica apparet dacryorrhysis cum universi systematis nervorum excitatione, quare paroxysmis neurosium quarumdam, ut hypochondriae et hysteriae, praecedere aut interesse solet, neque raro symptoma febris nervosae versatilis constituit.

His de dynamica epiphora dictis, ad dynamico-chemicam transeamus.

Epiphora dynamico-chemica vel miasmoidea, vel cacochymica, vel vicaria sive metastatica est.

I. Epiphora miasmoidea *).

Ratio ejus cernitur in adaucta simulque alienata vi secretoria glandulae lacrymalis, quippe quae necessitudinis consensualis et sympathicae causa, quae inter ipsam et cutem intercedit, reactionem cutis miasmaticam, qualis in morbillis, scarlatina, et variolis apparet, suscipiat. Proinde dacryorrhysis, ad miasmatis differentias significandas, aut variolosa, aut scarlatinosa, aut morbillosa etc. nominatur, et plerumque acutam indolem prae se fert. Reactio miasmatica glandulae lacry-

*) Joh. Adam Schmidt. de morbis organor. lacrymal. p. 97 sqq.
Benj. Bell. Chirurg. p. 491.

malis in morbis dictis miasmaticis saepissime ineunte reactione miasmatica se manifestat, quo facto ante finitam efflorescentiam evanescit. Quoties vero ad finem exanthematis persistit, chronica esse solet, neque prius decedit, quam omnis affectio cutis miasmatica desierit. Hanc epiphoram sola affectione glandulae lacrymalis gigni, inde ratiocinamur, quod saepe vel nulla, vel mediocris tantum photophobia et conjunctivae rubor adest.

Interdum per decursum syphilidis et psorae, in altera quidem saepius, in altera rarius, dacryorrhysis emergit, quae eadem ratione, atque in acutis miasmaticis morbis, explicanda est. Prodit inprimis, ubi injuriis quibusdam, singulatim perversa curatione, vis cutis productiva labefactatur.

II. Epiphora cacochymica **)

ex universa humorum cacochymia interdum profluit, qua, cum incitamentum insolitum in organon lacrymarum secretorium agere oporteat, mutatio tam actionis quam rationum mechanicarum atque chemicarum procreatur, eoque modo secretio profusior et aliena paritur, quae chronica esse solet. Sunt autem epiphorae cacochymicae species hae:

---

*) Ad. Schmidt. l. c. pag. 118.

**) Benj. Bell. l. c. pag. 492.

1) **Epiphora scrofulosa**, quae corpora scrofulosa infestat, et indole lacrymarum acerrima, qua tum canthi oculi et genae tum nares eroduntur, excellit. Oculus ipse ineunte morbo sanus pluries per diem lacrymis inundatur, rubor photophobiaque desiderantur. Protracto autem morbi cursu, status subinflammatorius bulbi oculi, acrimonia lacrymarum gignitur. Pariter ac epiphora venerea et arthritica cum lippitudine conjuncta est, ideoque veterioribus epiphora sebacea nominabatur *). —

2) **Epiphora scorbutica.**

Haec praeter alia symptomata totum per organismum dispersa, praecique indolem dilutam lacrymarum copiosissime secretarum, neque raro sanguinis sero simillimarum offerre solet. Insimul dolores pungentes circa tempora adsunt. Major gradus, quo lacrymae naturam sanguineam adsciscunt, dacryohaemorrhysis nuncupatur.

3) **Ephiphora arthritica**, quam in arthritide deprehendimus, periodica, vel longiori vel breviori spatio insignis est, et nunquam non cephalalgiam, pruritum palpebrarum et genarum dolores pungentes regionem temporalem obsidentes

---

*) J. Beer. de morb. ocul. pag. 110.

mitigat. Lacrymae, quarum secretio subito suppressa ophthalmiam arthriticam provocat, principiis salinis abundant. —

III. Epiphora vicaria sive metastatica.

Nonnunquam accidit, ut, suppressa naturali vel morbosa secretione, lacrymarum secretio augeatur, potissimum si glandula lacrymalis jam antea erethismo quodam laboravit, quae quidem adaucta secretio pro vicaria haberi potest. Lacrymae saepe naturam secreti suppressi magis minusve induunt. Augmentum et specifica mutatio sensibilitatis propriae glandulae lacrymalis, qua humores suscipit, qui statu normali ab ea alieni sunt, communi organorum secernentium lege nititur, quae in eo est, quod, si eorum actio alicubi minuitur, altero in loco eodem tempore adaugetur. Quotiescunque decrementum actionis organi cujusdam naturae consentaneum est, adaucta organi vicarii actio specifice parum mutatur. Sin autem diminuta vel penitus sublata actio organi secernentis, naturae consiliis non respondet, cum adaucta actione organi vicarii simul mutatio virium vitalium consociatur, unde fieri potest, ut officina humoris plane diversi constituatur *).

*) Xavier Bichat anatom. general. Tom. II. Sect. II. p. 142.

Suppressam cutis transspirationem saepe haec epiphora vicaria sequitur, et eo cognoscitur, quod aegrotus praeter dolores rhevmaticos in superiore orbitae regione, quasi arenam acrem inter palpebras haerentem sentire sibi videtur. Lacrymae indolem magis minusve saponaceam et gummosam adsciscere et spumam in oculorum canthis parere dicuntur *). Dzondi statum morbosum, quo lacrymarum adaucta secretio nititur, erethismum scoricum (rhevmaticum) glandulae lacrymalis appellat, eoque nomine irritationem inflammatoriam glandulae denotat, quae e stimulo scorico periorbitae inhaerente indeque glandulam lacrymalem per sympathiam afficiente originem petat.

Epiphora, quae mensium, lochiorum, pedum sudoris et porriginis suppressione inducitur saepeque observatur, tam acris est, ut cornea tarsus et cutis circumcirca erodantur, imo si secretio lacrymarum adaucta tollatur, tamen propter desorganisationem, lacrymarum acore non raro adductam, stillicidium lacrymarum remaneat. Interdum etiam, profluvio aliquo sanguinis suppresso, vera lacrymatio sanguinea observata esse fertur, quippe mulieres exstitisse dicuntur, quibus menses non ex utero,

*) v. Dzondi, tractat: de similitudine. quae intercedit inter glandul. lacrymal. et ren. p. 9.

sed ex oculo profluxerint *). Masars de Cazelles **) quoque mulierem post epistaxin suppressam per biduum lacrymas sanguineas effudisse tradit. Verum haec, me quidem judice, lacrymatio genuina fuisse non videtur, sed sanguinis exsudatio quaedam, orta per laxitatem capillarium arteriarum, quas cum ductibus excretoriis glandulae lacrymalis commercium alere, injectionibus comprobatum est. —

---

*) Beer. l. c. p. 114.

**) Journal de medecine chirurgie, pharmacie etc. par Roux. Tom. XXIV.

Aetiologia.

a, Epiphorae indoles.

Sensibilitatem organicam principem sistere causam, qua glandnlarum secernentium actio efficiatur *), haec probant:

Primum, quod secretiones statim incitamenta sequuntur; tum quod omnia, quae systema nervosum afficiunt, secundum communem omnium experientiam, secretiones augent, minuunt, mutantve, veluti animi affectus, narcotica, galvanismus, contagia, et ipsi morbi, qui neurosibus adjudicantur; deinde observationes physiologorum, quae energiam vitalem organorum secernentium statim cohiberi, aut prorsus tolli testantur, simulatque systema gangliosum afficiatur, vel nervi ad organa illa pergentes ligatura constringantur vel dissecentur.

Proinde augmentum quodlibet sensibilitatis organicae glandulae lacrymalis, secretionis lacrymarum adauctae itaque epiphorae proximam causam exhibeat, necesse est.

*) W. A. Haase demorb. chemic. Tom. I. p. 170. seq.

Quantitativa sensibilitatis organicae mutatio, ut supra annotavimus, specificam simul naturam prae se ferre potest.

Accedit, quod vel cum majore energia vasorum capillarium glandulae lacrymalis vel solius, vel vasorum oculi universi, aut cum deminuto tono textus organici et laxitate vasorum capillarium et absorbentium glandulae lacrymalis consociatur.

Prior quidem conditio ex augmento turgoris vitalis, splendoris, caloris et sensibilitatis animalis oculi, utplurimum e statu activo organismi universi, altera vero e symptomatibus contrariis, statu passivo organorum, et salutari remediorum incitantium effectu dignoscitur. Quemadmodum vasorum capillarium actio, summum gradum assecuta et inflammationem sistens, secretionem prorsus supprimit, sic altera conditio ad atoniam perfectam provecta, omnem secretionem veram suspendit. Qua diversa conditione cognita, discrimen in therapia gravissimum epiphorae activae et passivae efficitur.

b, Causae remotae morbi aut praedisponentes aut occasionales sunt.

Dispositio in adaucta sensibilitate oculi vel totius organismi consistit, quacum aut localis aut universalis asthenia conjuncta esse solet; quam ob rem inprimis teneriores infantes mulieresque epiphora petit. Dispositio haec tempore hiberno et in re-

gionibus frigidis potentior est, quam aestivo et sub coelo calidiore, quippe cum illic systema glandulosum per se efficacius sit totamque cutis functionem administrare nitatur.

Causae occasionales et externae sunt et internae. Illis omnia adnumerantur, quae vel mechanicam vel chemicam in oculum et glandulam lacrymalem vim exserunt, ut corpora aliena, aër pulverulentus, vapores acres, lucis splendor nimius, vitia organica palpebrarum, verbi causa entropium, trichiasis et distichiasis. Causae internae in quibusdam morbis positae sunt, qui ambitu magis locales, vel oculo vel partibus ei finitimis, aut ab eo remotioribus limitantur, et tam commercio nervorum illis partibus providentium, quam mutuo commercio inter organa secernentia intercedente, auctam glandulae lacrymalis actionem concitant, uti ophthalmiae minoris gradus, tumores orbitae insidentes, odontalgia, sordes gastricae, vermes, suppressa aliorum organorum secernentium functio. Neque minus in morbis universalibus cernuntur, qui in toto corpore, vel universo quodam systemate, ut nervorum, vasorum sanguiferorum, lymphaticorum, cutis, etc. nidulantur et glandulam lacrymalem ad actiones alienas compellunt, ut febris nervosa versatilis, hypochondria, hysteria, scorbutus, srofulae, scarlatina, morbilli, variolae, etc. —

Exitus. Si integritas restituitur, utplurimum

lysi judicatur epiphora, ita tamen, ut dispositio quaedam ad morbum recidivum superesse soleat.

Haud raro tamen vel fabricae vitia subsequuntur, vel partium finitimarum, ut destructio carunculae lacrymalis (rhyas), encanthis scirrhosa, quibus semper stillicidium lacrymarum insanabile gignitur, pannus et alia; vel ipsius glandulae lacrymalis, ut destructio per suppurationem, si epiphora activa ad dacryoadenitidem vehementem evehitur; induratio, rarefactio, intumescentia chronica, si passiva exstitit epiphora. —

Prognosis.

Haec quidem justa causarum occasionalium et morborum primitivorum aestimatione nititur. Epiphora corporibus alienis excitata, plerumque brevi tempore tolli solet, aegrius ea debellatur, cujus causa in vitiis palpebrarum organicis cernitur, quippe quae omnibus remediis saepe tenacissime resistant. In ophthalmiis quibus epiphora supervenit et illarum et hujus praedictio minus infausta esse consuevit, quum epiphora aut una cum ophthalmia evanescat, aut paulo post, in morbum substantivum dynamicum mutata, idonea curatione mox tollatur, et ophthalmiae minorem gradum significare soleat, quam xerophthalmiae. Quodsi hysteriae aut hypochondriae symptoma sistit, chronica quidem, at parum periculosa est. Verum in febribus dacryorrhysis mali ominis esse solet *), nam partim sanguinis congestiones caput versus notat, ideoque saepe apoplexiam, quandoque tamen epistaxin criticam antecedit **), partim systema nervorum con-

*) Cels. Lib. II. Cap. IV.

**) Pet. Frank. de curand. homin, morb. Lib. IV. de profluv.

citatissimum, delirium instans aliosque casus periculosos indicat. — In exanthematibus miasmaticis dacryorrhysis prognosin duplicem largitur. Si enim ineunte miasmate apparet et organismum hypersthenia insignem petit, evanescere consuevit, simulatque idonea curandi methodo exanthema in cute effloruit. Sin vero a principio organismus legitima destituitur vi in miasma satis reagendi, itaque exanthema minus perfecte excolitur, vel si status asthenicus vigente demum exanthemate oritur, quo ejus suppressio et miasmatis repercussio ad partes internas inducitur, prognosis tam epiphorae, quam totius morbi pejor habenda est, illaque non citra statum asthenicum tollitur. — Dacryorrhysis cacochymicae praesagium prorsus a tempore et gradu morbi primitivi pendet, atque eatenus malum est, quatenus et diuturnitate epiphorae et acore lacrymarum desorganisatio partium, quibus insidet, paritur. — Epiphora vicaria, quae suppressam quamlibet secretionem excipit, prognosin dubiam offert, quum intersit, utrum secretio suppressa restitui possit necne. —

Curatio. In curanda dacryorrhysi id praecique dispiciendum est, ut omnia, quae vel toti corpori vel oculo singulatim noceant, arceantur, deinde causae et morbi primarii, tum universales, tum locales, expellantur, quamobrem magni momenti est, ut corpora aliena, inter palpebras et

bulbum oculi tunicae conjunctivae inhaerentia, entropium, trichiasis et alia lege artis amoveantur. Dentes cariosi, sordes gastricae, vermes ejiciantur. Ad ophthalmiae, si quae praesto est, indolem magis minusve antiphlogistica, vel derivantia, vel emollientia accommodentur. Hypochondria et hysteria per intervalla curandae sunt methodo, causis et indoli earum respondente; paroxismus, si viget, una cum epiphora demulcendus, moraque ejus restringenda est, partim remediis nervinis partim narcoticis meris et aliis, quae simul systematis vasorum irritationem sedare valeant, prout cum paraesthesi vel status asthenicus vel hypersthenicus conjunctus sit. Inter remedia externa calor siccus oculorum vel sacculis herbaceis, vel linteis calefactis impositis, principem tenet locum. Quoties in exanthematum miasmaticorum periodo prima hyperaesthesis glandulae lacrymalis, eaque inducta epiphora, cum totius organismi hypersthenia conjuncta est, magisque hujus solius effectus esse videtur, tantum haec idoneis remediis moderetur, non dacryorrhysis ipsa adminiculis topicis impugnetur. Ubi autem propter astheniam universam exanthema non satis efflorescit et epiphora actionem miasmatis alacerrimam sequitur, et internis remediis excitantibus, in cutem simul agentibus quae diaeta nutriente adjuventur, utendum, et balneis tepidis, fomentationibus aromaticis, puro calidoque aëre asthenia depellenda, itaque reactio cu-

tis sufficiens evocanda est. Neque minus applicatio topica caloris sicci artificiosi secundum methodum supra dictam utilis est. Dein viribus refectis cutisque reactione satis confirmata, unguentum mercurii praecipitati rubri aut collyrium cum mercurio corrosivo tincturaque opii adhibere licet, nisi oculorum erethismus haec vetet.

Dacryorrhysis ubi per dyscrasin psoricam vel syphiliticam est concitata, illa sulphure haec mercurio tollatur, quae ipsa remedia extrinsecus in unguenti forma oculo admoveri possunt, quum epiphora ista plerumque passiva existat.

In cacochymica epiphora remedia interna salutaria contra morbos primitivos applicentur; contra scrofulosam topica, prout magis vel in erethismo, vel in torpore cernitur; vel calor localis tantum, vel remedia styptica: ut decoctum corticis quercus cum alumine, solutio lapidis divini, sive zinci sulphurici administrentur. Arthriticae epiphorae curatio localis ab initio nihil nisi ulcera derivantia artificialia institui jubet; aliquanto post unguentum mercurii praecipitati rubri in usum vocare licebit. Ad scorbuticam dacryorrhysin coercendam potissimum remedia styptica valent. —

In epiphora suppressis aliis secretionibus exorta, hae quam primum, suis quaeque remediis, restituendae, eaque addenda sunt, quae sensibilitatem nimiam hebefaciant. Affluxus humorum vero remediis

revulsivis et antagonisticis, ut vesicantibus, ad partes vicinas, pone aurem, collocatis, suppuratione artificiali, verbi causa: unguento tartari stibiati, pediluviis etc. aliorsum vertatur.

Quodsi, morbis primitivis sublatis, dacryorrhysis remanet, id quod post ophthalmias, variolas, morbillos etc. saepe evenit, morbum quasi dynamicum mere localem sistit, et tam in his casibus, quam si a principio substantiva est, curationem magis directam expostulat, quae, prout epiphora magis activa vel possiva apparet, discrepare solet. Ad activam curandam sensibilitas adaucta cumque hac erethismus vasorum diminuatur necesse est. Cui indicationi ut satisfaciamus, oculus ab incitamentis quibuscunque muniatur, diaeta antiphlogistica imperetur. Internis remediis narcoticis puris, ut extracto hyoscyami, aqua laurocerasi etc. utamur. Haec novissima inprimis efficacem se praestat, quippe quae principiorum acrium et excitantium expers, systema nervorum sopit, itaque systema vasorum demulcet. Digitalis purpurea etiam cum fructu administrari potest.

Prout diathesis inflammatoria magis minusve praevalet, dictis remediis sales neutri adjungantur, qui. incitando tractum intestinorum per antagonismum saluberrimi sunt; vel ii, qui in cutem simul agunt, ut kali aceticum, ammonium muriaticum etc. Si huic medendi rationi symptomata status hyper-

sthenici cesserunt, opium, quod secretiones immodicas cito valideque coercet, adhiberi potest, sed ad vim ejus incitantem minuendam, forma pulveris Doveri eligatur.

Externa remedia epiphorae activae sunt: tepida mucilaginea fluida: ut decoctum tenue althaeae, florum malvae, vel verbasci, vel infusum herbae hyoscyami. Quae si humida non sustineantur, herbae leviter aromaticae, additis narcoticis, in sacculis applicentur. Effectus remediorum, quae enumeravi, revulsivis et antagonisticis commodissime foventur, id quod praesertim rubefacientibus, ulceribus artificialibus, balneis tepidis, consequimur.

Quodsi dacryorrhysis passiva exstat, quae plerumque activam sequitur, adhibenda remedia ea sunt, quae glandulae lacrymalis laxitatem tollant, ejusque contractionem et energiam augeant. Cui indicationi tonica, praecipue adstringentia vegetabilia satisfaciunt, ut herba salviae, cortex chinae, quercus, salicis, radix tormentillae etc. Externis remediis adnumeranda sunt: infrictiones spirituosorum in regionem temporalem et circa supercilia, exempli gratia spiritus camphorati, aquae coloniensis, nec non fomentationes oculi, ex decocto chinae, quercus etc. et applicatio solutionis zinci sulphurici, etc. Nonnunquam tinctura opii saluberrimam se praestat. Galvanismi et electricitatis usus haud raro magnam affert utilitatem.

Praeterea cauteria et vesicantia merito commendantur.

Quae reliqua sunt, quum per se intelligantur, omittamus.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Eduardus Albertus Groos, confessioni evangelicae addictus, in arce Wittgensteinensi prope Laasphiam natus sum, anno hujus seculi sexto, die vigesimo primo Februarii, patre carissimo Carolo Groos, a consiliis cameralibus et saltuariis, matre Friderica, de gente Schaffner, dilectissima, quos parentes incolumes intimo animo veneror.

Primis litterarum rudimentis, aliisque, quibus pueri imbui solent, disciplinis a privatis praeceptoribus instructus, anno MDCCCXXIII. Gymnasium Gissense florentissimum, atque anno MDCCCXXIV. Gymnasium Susatense inclytum petii, unde post annum, examine abiturientium rite absoluto, Marburgum me contuli ibique ab magnifico Prorectore Iordan in civium academicorum numerum adscriptus sum, quo facto, per tria semestria virorum illustrissimorum praeceptis frui mihi licuit. Interfui

his lectionibus: Ill. Gerling de physice, Ill. Buenger de osteologia, anatomia generali et speciali; etiam hic mihi praeceptor fuit in arte cadavera secandi. Physiologiam Ill. Herold, botanicen Ill. Wenderoth, chemiam et pharmaciam Ill. Wurzer me docuerunt, nec non adfui praelectionibus Ill. Bartels de pathologia generali, Ill. Creuzer de psychologia, et Ill. Pfennigkaufer de materia medica. Vere anni MDCCCXXVII ad almam rhenanam universitatem me contuli ibique a Rectore t. t. magnifico, viro illustrissimo Noeggerath, civibus academicis adscriptus, et ab Ill. Nasse t. t. Decano ordinis medici in album receptus, tria per semestria praelectionibus illustrissimorum virorum interfui. Audivi Ill. Goldfuss de zoologia, Ill. Brandis de logice, Ill. a Walther de pathologia et therapia chirurgica, de akiurgia, de luxationibus et fracturis ossium, de arte fascias applicandi et de morbis oculi, Ill. Bischoff de arte formulas medicas concinnandi, Ill. Noeggerath de mineralogia, Ill. Mueller de encyclopaedia et methodologia medica, Ill. Heine de arte obstetricia theoretica et practica, Ill. Nasse de pathologia et therapia speciali et generali, et de mentis morbis; nec non adfui scholis clinicis medicis Ill. Nasse, chirurgicis et opthalmiatricis Ill. a Walther. Deinde per annum, dilectissimum fratrem, Aemilium, Doctorem utriusque medicinae et medicum practicum in exercenda praxi

praeceptorem habui. Autumno anni MDCCCXXIX Berolinum petii, ubi rectore magnifico Klenze in numerum civium academicorum receptum, in gratiosi ordinis medicorum album Ill. Bartels me inscripsit; hic interfui scholis clinicis medicis Ill. Bartels, chirurgicis Ill. Rust; per hoc autem semestre ab exercitationibus clinicis medicis perillust. Hufeland et clinicis obstetriciis Ill. Busch non absum.

Tentamine philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero, fore ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi impertiantur.

Theses defendendae.

I.

Crimen in lucido intervallo commissum non est imputandum.

II.

Pulsus solus signum diagnosticum certum morborum non suppeditat.

III.

Fibrae, quae in utero humano, praesertim gravido, inveniuntur, non sunt musculares, sed sui generis.

IV.

Ad aperiendum abscessum incisio magna praeferenda est parvae.

V.

Dacryorrhysis nititur adaucta sensibilitate glandulae lacrymalis.